

Bibliothèque numérique

medic@

Dideron, François-Gaspard - candidat
/ Philip, Joseph - président. - An
fructus horaei, nedum noceant,
plurimùm prosint ?

1785.

*Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°121*



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI. PARÆ ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIBLIOTHEQUE
MÉDICINE
PARIS

QUÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis decimâ quartâ
mensis Junii, anno Domini M. DCC. LXXXV.*

M. JOSEPHO PHILIP, antiquo Facultatis Decano, Doctore
Medico Præsidente.

An fructus horæi, nedum noceant, plurimùm prosint?

I.

CUM singulam sibi congruos tempestatem fructus promere, decerneret natura
parens, tutissima eorum quos secum important tempestatum conversiones
morborum propugnacula; videretur-ne fermè irritam mater provida curam sus-
cepisse? stultâ obcoecatus superbâ, præsentî obtemperans libidini, præjudi-
catis serviens opinionibus, quidquid non excogitavit ipse, quidquid non appetit

A

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

unius momenti libido, quidquid non eum docuere fabulæ, quibus ad incunabula somnum ipsi toties anus accersivit; turpe tanquam vinculum horret homo, quod furens excutere & revellere enititur. Libertatis umbram captans naturæ etiam præciosiora munera respuit, ne ipsorum acceptorum memoriæ vinculis irretiat. Quos in salubrem escam suaves plenâ manu largita fuit, fructus asperneret & repudiaret, si, deficientibus istis, alios sufficere suâ potis esset industriâ: verum imparem cum se sentiat, suum saltem gestit sibi celare servitium, dum assumendorum fructuum ordinem à naturâ assignatum invertit; nec sentit imprudens in ipsius gratiam hos huicce tempestati, illos illi fuisse concessos & dicatos.

Videas divitiis affluentem & quasi iis divus factus esset superbientem homuncionem, fructus tempestivos fastidientem, nec nisi abortivos vel sacrilegâ arte naturæ extortos mensis suis afferri reponique sinentem. Auro quidem emptos morbos, ita loqui si fas sit, sæpius forbet. Sed justam ab ipso pœnam repeti inficias euns, contumeliosis rumoribus, naturam objurare non cessat, ejus ambitiosa ignorantia; naturæ exprobratur quam fecit exquisita epularum lautities malorum ilias. Noverca accusatur natura, porrectumque nectaris sub formâ venenum conclamatur. Dum prohi Dii! nectar quod sollicitâ manu fudit mater, indolem veneni induit, tantum juvantibus superbæ famulis gulæ. Verum liceat omnipretio simile veneficium emat opulenti noster, nonne dolenda ipsorum impietas quibus non datur mensis accumbere divitum, eorum enim jurgiis jurgia miscentes illos videas si spretâ naturæ ipsius-met voce, temerè nondum maturis vel maturis etiam fructibus ingurgitantur iisque malè afficiantur. Felices ô nimium felices homines si moderatè & tempestivè naturæ donis uti non abnuentes, matrem optimam eam agnoscerent, piasque grates ipsi norint persolvere!

I I.

HYEME dum boreas sævit, frigore cutis addensata rigescit. Perspirationis igitur materies *uropoietica* organa versùs cogitur, solidis robur tonicum accedit & præsertim validiorem obtinent actionem organa *chylopoietica*. Indè, tum nutritiâ redundante substantiâ, tum etiam tonicâ additâ vi, spissescunt humores & ad concrescendum magis fiunt proclives. Cui quidem crasi adducendæ præsertim conferunt meri largior potus inter obscuræ tempestatis tædia, longioresque per noctes somnus protractior. Sed Vere redeunte tepidiussculus aër cuti favet, perspiratorio ea rore imbuta tenescit, vividiorique sensu gaudet. Nescio quid jucundique mollisque pectori infunditur. Regnum sibi parat Venus:

Cras amet qui nondum amavit,

Quique amavit cras amet.

Ver novum, ver jam canorum!

Ver renatus orbis est.

Vere concordant amores,

Vere nubunt alites.

Verum frigidiusculæ interdum noctes & auroræ perspiratorium retrò pellunt humorem, qui quidem omnis *uropoieticas* vias continuò non subit. Retento igitur illo, adaugefcit sanguinis moles ipsiusquè vincitur visciditas, jam aëris tepore

debellata : indè in *vasis* plethora , quæ etiam ob vim caloris expansivam majorem se prodit. Jam instat *cancer* , patulis igitur factis poris , profluente sudore cutis mader , anxius fit somnus , ad acredinem vergunt humores , languent , tono sufflaminato , vires , præsertimque feriatur concoctrix actio : quæquidem omnia *syrio* furente increbescunt ; usque dum sole *libram* ingresso frigidiusculas iterum noctes & auroras equinoctium adducat , queis quidem versùs urinas perspirabile retropellitur , quo tamen aquoso latice humorum acredo temperatur. Solidorum atonia etiam frigore debellatur. Verùm paucus cum sanguini nutritius humor insit , seroque redundante malè divisus innatet ; periculum est ne vel lævissimâ de causâ separatus concreascet visceraque infarciat.

I I I.

QUEM tristem sui comitem vegetantibus induxit somnum hyems obscura , lætum ver excutit. Dudum torpentia illa solis radiorum actio potentior exsuscitat ; jam novam vivunt vitam quos strictè coegit canales glacialis boreæ flatus. Tepens referat halitus favonii :

Diffugere nives , jam redeunt gramina campis ,

Arboribusque comæ.

Nunc frondent silvæ , nunc formosissimus annus.

Jam mille colorati flores , hortorum decus , dulcisque spes Pomonæ rus adornant. Altiorē stadii metam sol nondum attingit : suavem per nemora spirat odorem fraga redolentia & ambrosiacâ turgēt aquulâ : dum gratum dulci temperat acorem cerasum , jucundam cum foliorum virore pugnam miscet ejus purpura : quæ pellucentes acinos legat , manum invitat ribes , acescentique latice sitim sedat. Jam *canis* æstuat , aureo colore fit dives peponis caro & simul mitissimo fragrantique succo turgēt : mellitum saporem ficus mutuatur ; saccharatum succum fundit in os prunum : purpuram croceo miscet armeniacum ; dulcissimâ lanugine obductum , in oculorum voluptatem rubet persicum malum , dum simul in palati delicias frigido nectare turgescit. Tenescunt quidquid est pirorum molli carne gaudentium : rubent æstiva mala , pampineo sub velo tumet uva , jam acorem deposuit dulcissimumque saporem adeptæ est : sub nucleo dulces mulcentisque præbet autumnus , præbet & etiam pulposâ carne subausteros fructus ; aureus igitur fit cydonius , saccharum acerbo immiscent pira malaque. Mollescit mespillus , corallinum induit colorem forbus.

O fortunatos nimium , sua si bona norint ,

Agrícolas !

I V.

PER facile nunc cognoscas variam variis tempestatibus abductam crasim apprimè fructibus unâquaque tempestate maturescentibus moderari ac corrigi. Reverà quidem acescenti aquosoque rubentium horæorum latice , sitis urgens lævatur , refrigerium simul & tonus visceribus additur , humorum acredo , præsertimquè bilis demulcetur ; demùm , promotâ diuresi , sedatur nimius sudor. Ubi autem sole summum gradum pertingente debilitati fibrarum accedit erethismus , mit-

4

tissima melonum & persicorum aqua, viscera sæpius torminibus tentata sedat & placidiorem adducit somnum quo dissipatæ refarciuntur vires. Tonum etiam addunt mori, humorum mitescunt acedinem ficus & armeniaca, mulcent etiam pruna quæ cum acidiusculæ sæpius sint idè temperant simul & diuresim movent. Acidiuscula etiam sunt pira; intestinorum igitur tonum levitè tantum ob immixtam dulcedinem sustinent. Similem effectum exerunt æstiva poma, urinam movent uvæ, humores mulcent, & ob mucosum quo turgent succum nutritiâ eos perfundunt substantiâ, & perfectius inter se mixtis lymphæ & sero, illius coagulum, hujusce instantem illuviem arcent & quidem ne illarum usu nimis ventriculus debilitetur, solutoque ejus tono, fluxus alvi locum obtineant. Accedunt pira mespilique & præsertim cydonia mala quorum quidem austero succo viscera corroborantur.

V.

VERUM, inquit, nonne suæ debent fructibus admitti etiam noxæ propriæ, unde, nedum tempestate quâcumque incurrentibus morbis obstant, è contra sæpius quam plurimos adducant. Sic verminosæ intemperiei febrium, diarrhæarumque præsertim inter causas præcipuè annumerant fructuum esum etiam inter practicos celeberrimi Medici.

1°. Quidem reponere fas erit fructuum pravorum usum reverà maximè noscivè sese prodere, sed usum abusu non tolli omnium est in ore versans adagium. Quæ igitur nondum maturis fructibus vel nimia copiâ ingestis, malè ducuntur, reverà à sobrio & prudenti maturorum esu non erunt pertimescenda.

2°. Autem loco, nulla videtur ratio cur diarrheas & febres fructus efficerent, cum è contra frequentiores morbi illi occurrant ubi parçâ manu fructus largitur annus quam ubi amplissima eorum copia dives se præbet, quibus addas sæpius eos morbos fructibus profligatos quotidie observari. Vermes autem vel illorum ovula cum fructibus vorari, indè igitur à fructuum usu vermium copiam in intestinis deduci si contendas, num nunc vermium intestinalium illa sit vera origo quærerem : sed licet cum fructibus vermes illorumve ovula viderentur non inde morborum à vermibus ortis causas fructus essent; etenim cum non nisi quibus debilia sunt viscera humoresque gastrici inertes, vermes ingruere vulgò notum sit, verminosæ intemperiei fons potius erit è præeuntibus viscerum atoniæ causis quam à fructibus repetendus.

Ergo fructus horæi, nedum noceant, plurimùm prosunt.

Proponēbat Parisiis FRANCISCUS GASPARDUS DIDERON, Valentinus in Delphinatu, Doctor Medicus Valentiniensis, nec non Saluberrimæ Facultatis Parisiensis Baccalaureus, Theses Auctor.

A. R. S. H. 1785.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1785.